Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8336
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

possessionis eius. Magnus et non habet consumacionem: excelsius et insublimius. Ibi fuerunt gigantes nominati: illi qui abinitio fuerunt statura magna scientes bellum. Non hos elegit dominus: neque viam disciplinae invenerunt: propterea perierunt. Et quoniam non habuerunt sapientiam: interierunt propter suam insipientiam. Quis ascendit in celum et accepit eam: et deduxit eam de nubibus? Quis circumiit mare et invenit eam: et attulit eam super aurum electum? Non est qui sciat viam eius neque qui excogitet semitas eius: sed qui scit omnia novit illam: et adinvenit eam prudentia sua. Qui praeparavit terram in sempiterno tempore: et adimplevit eam pecudibus quadrupedibus: qui emittit lumen et vadit: et revocavit eam: et obaudivit illum cum tremore. Stellae autem dederunt lumen in custodiis suis: et laetatae sunt. Vocatae sunt et dixerunt: adsumus: et luxerunt ei cum iucunditate qui fecit illas: hic est deus noster: et non estimabitur alius adversus eum. Hic adinvenit omnem viam disciplinae: et tradidit illam iacob puero suo: et israel dilecto suo. Post haec super terram visus est: et cum hominibus conversatus est.

Alia.

Factus est super me manus domini: et eduxit me in spiritu domini: et dimisit me in medio campi qui erat plenus ossibus: et circumduxit me per ea undique. Erant autem multa valde super faciem campi siccaque vehementer. Et dixit ad me: fili hominis: putas ne vivant ossa ista? Et dixi: Domine deus tu nosti. Et dixit ad me: Vaticinare de ossibus istis: et dices eis: Ossa arida: audite verbum domini: Haec dicit dominus deus ossibus istis: Ecce ego introducam in vos spiritum et vivetis: et dabo super vos nervos: et succrescere faciam super vos carnes: et super extendam in vobis cutem: et dabo vobis spiritum et vivetis: et scietis quia ego dominus. Et prophetavi sicut praeceperat mihi. factus est autem sonitus prophetare me: et ecce commotio. Et accesserunt ossa ad ossa: unusquisque ad iunctura sua. Et vidi: et ecce super ea nervus et carnes ascenderunt: et extenta est mea cutis de super. Et spiritum non habebant. Et dixit ad me: Vaticinare ad spiritum. vaticinare fili hominis: et dices ad spiritum. Haec dicit dominus deus. A quatuor ventis veni spiritus: et insufla super interfectos istos et revivescant. Et prophetavi sicut praeceperat mihi. Et ingressus est in ea spiritus et revixerunt: et steterunt super pedes suos exercitus magnus nimis valde. Et dixit ad me: fili hominis: ossa haec universa